

sum mundum diffusa Ecclesia. - - *UNA* est ergò Ecclesia: quia scissuram & schismata non recipit, sed sicut unus est Deus, una fides, unum baptisma: ita *UNA* generalis est Ecclesia, quæ rectè & *COLUMBA* vocatur: quia Spiritus Sancti dote, qui in specie columba apparuit, Christo sponsata & sanctificata est. **GREGORIUS MAGNUS** ad h. l. fol. m. 1032. Multi fideles, qui in simplicitate permanent, & ab unitate non scinduntur, dum in idipsum intendunt, dum unò desiderio Christi se invicem nutriunt, dum habentes cor unum, & animam unam in charitate se uniunt, ex multis membris *UNUM* Corpus efficiunt. Omnesque in *UNITATIS* simplicitate, & *UNITATE* viventes, *UNA COLUMBA* existunt. **BEDA** ad h. l. Tom. IV. Oper. fol. m. 798. *UNA* est *ECCLESIA*, quia divisionem schismatis non recipit. *UNA* est, quia non alia ante *LEGEM*, alia sub *LEGE*, alia sub *GRATIA*, alia de *CIRCUMCISIONE*, alia de *PRÆPUTIO* collecta: sed sicut unus Dominus, una fides, unum baptismum, unus Deus Pater omnium, id est *UNA* Catholica electorum omnium multitudo per omnia, & mundi loca & tempora seculi, eidem uni Deo & Patri subjecta. **PHILO CARPATHIORUM** Episcopus in h. l. Tom. IV. Bibl. Mag. Patrum fol. m. 583. *UNA* est ipsa *S. ECCLESIA* & fidelis *SPONSA*, puritate & innocentia vita, morum integritate & castimonia, prudentiam habens caelestis sapientia. **JUSTUS ORGELITANUS**, Episcopus ad h. l. Tom. VI. Bibl. M. Patrum parte I. fol. m. 516. In electis non diversitas sed unitas commendatur, *UNA*, inquit, est *COLUMBA MEA* perfecta. *COLUMBA*, quia simplex est & spiritualiter sapit. *PERFECTA*, quia